



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Meditandi A S. P. Ignatio Societatis Iesv Fundatore traditæ Explicatio

Le Gaudier, Antoine

Dilingæ, 1627

Cap. VI. Orationis exercitium sensim solet perfici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50280](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50280)

CAPVT VI.

*Orationis exercitium sensim solet
perfici.*

Porro vtriusque illius orationis
formæ natura & perfectio non
consistit in indiuisibili, vt aiunt, nec
angustis circumscribitur finibus. Ha-
bet enim vtraque suos gradus, per
quos solet diuina prouidentia quos
ad perfectionis statum vocauit sen-
sim promouere, modò ipsi non de-
sint, nec contra regentis motum re-
luctentur, sed potius ad Dei manum
conatum suum adiungant. *Frequens
enim oratio, inquit Ambrosius lib. 2.
de Cain & Abel cap. 6. quandam ope-
ratur disciplinam orandi, quia ipse v-
sus docibiles Dei facit, indociles ne-
gligens.* Et quidem maximi momen-
ti est statim ab initio conuersionis
huic studio vacare diligenter, & ora-
tionis ordinariæ exercitium toto af-
fectu

fectu complecti: is enim Deum orandi ardor & desiderium est veluti fundamentum, basis, & mensura perfectionis, quam assequeris postea, & quoddam earum rerum semen quas ad Dei gloriam efficies. Quare solet Deus iis, quos ad excellentem sanctitatis gradum vocare constituit, magnum orationis desiderium initio communicare, quod, nisi impediatur, crescit ipso orandi usu, sensimque Deo adspirante sacri illius ignis calore anima inardescit, qua in fornace, mollita cordis duritie, & absterfa prauæ consuetudinis rubigine, dum accedit mortificationis malleus vitiorum habituum asperitatem retundens, ipsa facile Dei ducentis manum sequitur, & ad omnem quem ipse destinavit tum virtutis, tum orationis etiam extraordinariæ usum, & opus diuinæ gloriæ, ab ipsomet Deo idoneum iam instrumentum suauissimè euehitur, iuxta Sapientis sententiam.

Eccles.

Eccles. 39. Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ &c. Et in oratione confitebitur Domino, & ipse diriget consilium eius, & disciplinam, & in absconditis suis conc. l. abitur. Volet autem Dominus hac tanta contemplationis gratia & fructibus iustum replere; si authore Berna. do. ser. 57. in Cant. integrò & perfectè cor suum tradat ad vigilandum di luculo ad Dominum. Quod egregiè confirmat Ricardus à Sancto Victore in Beniamin part. 1. c. 79. Per triplex, inquit, studium ad huius cognitionis celsitudinem perducimur; per studium operis, per studium meditationis, per studium orationis. Multa enim experimur operando, multa inuenimus inuestigando, multa extorquemus orando. Cùm igitur ab oratione ordinaria siue meditatione inchoandum sit perfectionis iter, atque ipsa à nostro conatu & industria,

dustria, cooperante diuina gratia, multum pendeat; operæ pretium est breuiter ea recensere quæ conferre nos & possumus & debemus, vt hæc nobis spiritualis actio sit utilis.

 CAPVT VII.

De remota præparatione ad orationem, & eius impedimentis.

ANtequam ea quæ ad huius excellentissimæ actionis praxim spectant exactius tradamus; necesse est vt, quæ ad causæ efficientis creatæ, id est illius qui orationi vacat, dispositionem pertinent, explicemus. Nam, vt in omnibus causis efficientibus accidit, quod melius hæc instructa erit, & maiori causandi vi prædita, atq; ad agendum conuenientius applicabitur; eò etiam melior, & præstantior hæc orationis actio consurget.

C

Ani-